

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. VAL. MARTIALIS

Martialis, Marcus Valerius

AMSTELODAMI, 1628

Liber V.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-711](#)

Adlibrum. 89.

Ohe, jam satis est, ohe, libelle;
 Iam pervenimus usque ad umbilicos.
 Tu procedere adhuc, & ire queris;
 Nec summa potes in scheda teneri:
 Sic tanquam tibi res peracta non sit,
 Quæ prima quoque pagina peracta est.
 Iam lector queriturque, deficitque
 Iam librarius hoc & ipse dicit:
 Ohe, jam satis est, ohe, libelle.

M. V A L.

M A R T I A L I S

Epigrammatum.

LIBER V.

Cæsari (Domitiano) librum
 mittit. I.

Hoc tibi, Palladiæ seu collibus uteris Albæ,
 Cæsar, & hinc Triviam prospicis, inde
 Thetin:
 Seu tua veridicæ discunt responsa forores,
 Plana suburbani qua cubat unda freti:
 Seu placet Æneæ nurrix, seu filia Solis,
 Sive salutiferis candidus Auxur aquis;
 Mittimus, ð, rerum felix turela, salinsque,
 Sospite quo gratum credimus esse Iovem.
 Tu tantum accipias; ego te legisse putabo:
 Et tumidus Galla credulitate stuas.

De eodem. 2.

Matronæ, puerique, virginesque,
 Vobis pagina nostra dedicatur.
 Tu, quem nequitiae procaciores
 Delectant nimium, salesque nudis,

204 M. V A L. M A R T I A L I S
Lascivos lege quattuor libellos ;
Quinctus cum Domino liber jocetur;
Quem Germanicus ore non rubentâ
Coram Cecropia legat puellâ.

Ad Germanicum. 3.

Accola jam nostræ Degis, Germanice, ripæ,
A famulis Istri qui tibi venit aquis,
Lætus, & attonitus viso modo præside mundi,
Affatus coimtes dicitur esse suos :
Sors mea quam fratri melior! cui tam prope fas
est
Cernere, tam longè quem colit ille deum.

Ad Paullum, de Myrtale. 4.

Fœtere multo Myrtale solet viño ;
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merunque cauta fronde non aqua miscet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire, Paule, videris contra;
Dicas, licebit: Myrtale babit laurum.

Ad Sextum. 5.

Sexte, Palatinæ cultor facundæ Minervæ,
Ingenio frueris qui propiore dei.
Nam tibi nascentes. Domini cognoscere curas,
Et secreta ducis pectora nosse licet.
Sit locus & nostris aliqua tibi parte libellis,
Qua Pedo, qua Marfus, quaque Catullus erit,
Ad Capitolini coelestia carmina belli
Grande cothurnati pone Maronis opus.

Librum commendat Parthe-
nio. 6.

Si non est grave, nec nimis molestum,
Musæ, Parthenium rogate vestrum:
Sic te senior & beata quondam
Salvo Cæsare finiat senectus,
Et sis invidia favente felix ;
Sic Burrus cito sentiat parentem ;
Admittas timidam, brevemque chartam
Intra limina sanctoris aulæ:
Nofti tempora tu Iovis sereni,
Cum fulger placidus, suoque vultu,

Quo

Quo nil supplicibus solet negare.
Non est, quod metuas preces iniquas:
Numquam grandia, nec molesta poscit,
Quæ cedro decorata purpuraque
Nigris pagina crevit umbilicis.
Nec porrexeris ista, sed teneto,
Si tanquam nihil offeras, agasque.
Si novi dominum novem fororum;
Vtro purpureum petet libellum.

*De Roma post incendium
restaurata. 7.*

Qualiter Assyrios renovant incendia nidos,
Vna decem quoties sæcula vixit avis:
Taliter exuta est veterem nova Roma senectam;
Et sumpfit vultus præsidis ipsa sui.
Iam precor oblitus nostræ, Vulcane, querelæ
Parce: sumus. Martis turba, sed & Veneris.
Parce, pater: sic Lemniacis lasciva catenis
Ignoscat conjux, & patienter amet.

De Phaside. 8.

Edictum Domini Deique nostri,
Quo subsellia certiora fiant,
Et puros eques ordines recepit,
Dum laudat modo Phasis in theatro,
Phasis purpureis ruber lacernis,
Et jactat tumido superbus ore:
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est redditæ dignitas equestris;
Turba non premimur, nec inquinamus.
Hæc & talia dum refert supinus,
Illas purpureas & arrogantes
Iussit surgere Lectius lacernas..

In Symmachum. 9.

Languebam: sed tu comitatus protinus ad me
Venisti centum, Symmache, discipulis.
Centum me tetigere manus Aquilone gelatæ.
Non habui febrem, Symmache, nunc habeo.

Ad Regulum, de fama Poetarum posthuma. 10.

Esse quid hoc dicam, vivis quod fama negatur?
 Et sua quod rarus tempora lector amat?
 Hi sunt invidiae nimirum, Regule, mores;
 Praferat antiquos semp̄er ut illa novis.
 Sic veterem ingrati Pompeji quærimus umbram;
 Sic laudant Catuli vilia templa senas.
 Ennius est lectus salvo tibi Roma Marone:
 Et sua riserunt sœcula Mæonidem:
 Rara coronato plausere theatra Menandro:
 Norat Nasonem sola Corinna suum.
 Vos tamen, ô nostri, ne feltinate, libelli:
 Si post fata venit gloria, non propero.

Ad Severum, de Stella. II.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, aspidas uno
 Versat in articulo Stella, Severe, mens.
 Multas in digitis, plures in carmine gemmas
 Invenies; inde est hæc, puto, culta manus.

De eodem. 12.

Quod nutantia fronte perticata
 Gestat pondera Masthlion superbus,
 Aut grandis Linus omnibus lacertis
 Septem quod pueros levat, vel octo;
 Res non difficilis mihi videtur:
 Uno cum digito, vel hoc vel illo,
 Portet Stella meus decem puellas.

In Callistratum. 13.

Sum, fateor, semperque fui, Callistrate, pauper,
 Sed non obscurus, nec male notus eques:
 Sed toto legor orbe frequens, & dicitur, hic est:
 Quodque cinis paucis, hoc mihi vita dedit.
 At tua centenis incumbunt tecta columnis,
 Et libertinas arca flagellat opes:
 Magnaque Niliacæ servit tibi gleba Syenes;
 Tonder & innumeros Gallica Parma greges.
 Hoc ego, tuque sumus, sed quod sum, non potest
 esse.
 Tu quod es, è populo quilibet esse potest.

De Nannejo. 14.

Sedere primo solitus in gradu semper,
 Tunc cum liceret occupare, Nannejus:
 Bis excitatus terque transtulit castra;
 Et inter ipsas poene tertius sellas
 Post Caïumque Luciumque confedit.
 Illinc cucullo prospicit caput testus,
 Oculoque ludos spectat indecens uno.
 Et hinc miser dejectus in vitam transit,
 Subsellioque semifultus extremo,
 Et male receptus altero genu, jaftat:
 Equiti sedere, Lettioque se stare.

Ad Augustum. 15.

Quintus nostrorum liber est, Auguste, jocorum,
 Et queritur læsus carmine nemo meo.
 Gaudet honorato sed multus nomine lector,
 Cui victura meo munere fama dat u.r. (tos?)
 Quid tamen haec prosunt quamuis veneratia mul-
 Non profint: sane me tamen ista juvant.

Ad lettorem. 16.

Seria cum possim, quod delectantia malim
 Scribere; tu caussa es, lector amice, mihi,
 Qui legis, & tota cantas mea carmina Roma.
 Sed nescis, quanti stet mihi talis amor.
 Nam si falciferi defendere templa Tonantis,
 Sollicitisque velim vendere verba reis;
 Plurimus Hispanas mittet mihi nauta merretas,
 Et fier vario sordidus ære sinus.
 At nunc conviva est, commissatorque libellus,
 Et tantum gratis pagina nostra placet.
 Sed non hac veteres contenti laude fuerunt,
 Cum minimum vati manus Alexis erat.
 Belle, inquis, dixti. satis est: laudabimus usque,
 Dissimulas? facies me puto caussidicum.

In Gellian. 17.

Dum proavos, atavosque refers, &c nomina magna;
 Dum tibi noster eques sordida conditio est:
 Dum te posse negas nisi lato, Gellia, clavo
 Nubere; nupstiti, Gellia, ciftifero.

Ad Quintianum. 18.

Quod tibi Decembri mense, quo volant mappæ,
 Gracilesque ligulæ, cereique, chartæque,
 Et acuta senibus testa cum Damascenis,
 Præter libellos vernulas nibil misi:
 Fortasse avarus videor, aut inhumanus.
 Odi dolosas munera & malas arteis.
 Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
 Avidum vorata decipi scarum musca?
 Quoties amico diviti nihil donat,
 O Quintiane, liberalis est pauper.

Ad Cæsarem Germanicum. 19.

Si qua fides veri, præferrî, maxime Cæsar,
 Temporibus possunt sœcula nulla tuis.
 Quando magis dignos licuit spectare triumphos?
 Quando Palatini plus meruere dei?
 Pulcrior & major quo sub duce Martia Roma?
 Sub quo libertas principe tanta fuit?
 Est tamen hoc vitium, sed non leve, sit licet unum,
 Quod colit ingratas pauper amicitias.
 Quis largitur opes veteri fidoque sodali?
 Aut quem prosequitur non alienus eques?
 Saturnaliciæ ligulam misisse felibræ,
 Flammatae togæ scriptula tota decem,
 Luxuria est, tumidique vocant hæc munera regis:
 Qui crepet aureolos, forsitan unus erit.
 Quatenus hi non sunt, esto tu, Cæsar, amicus,
 Nulla ducis virtus dulcior esse potest.
 Jamdudum tacito rides, Germanice, naso:
 Vtile, quod nobis, do tibi consilium.

Ad (Iulium) Martialem. 20.

Si tecum mihi, care Martialis,
 Securis liceat frui dijebus;
 Si disponere tempus otiosum,
 Et veræ pariter vacare vitæ:
 Nec nos atria, nec domos potentium,
 Nec lites tetricas, forumque triste
 Nossemus, nec imagines superbas:
 Sed gestatio, fabulæ, libelli,
 Campus, porticus, umbra, Virgo, thermæ;
 Hæc essent loca semper, hi labores.

ALIS
18.
volant map
chartæque,
nascentis,
nisi:
umanus.
arteis.
e quis nescit,
usca?
it,
er.

cum. 19.
ime Cæsar,
ulla tuis.
tare triumpbo
re dei?
Matria Roma!
ta fuit?
ve, sit licerem
nicietas.
fodali?
iemus eques?
bra,
ota decem,
ec munera mi
unus erit.
esar, amicos,
e potest.
ce, naso;
illium.
rtia.

hermez;
Nat

EPIGRAMMAT. LIB. V. 109

Nunc vivit sibi neuter, heu, bonosque
Soles effugere atque abire sentit;
Qui nobis pereunt, & imputantur.
Quisquam vivere cum sciat, moratur?

De Apollonio. 21.

Quintum pro Decimo, pro Crasso, Regule, Macrū
Ante salutabat rhetor Apollonius.
Nunc utrumqüe suo resalutat nomine. quantum
Cura, laborque potest! scripsit, & edidicit.

Ad Paullum. 22.

Mane domi nisi te volui meruimus videre
Sint mihi, Paulle, tuæ longius Exquiliæ.
Sed Tiburtinæ sum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum rustica Flora Iovem:
Alta Suburrani vincenda est semita clivi,
Et nunquam sicco sordida saxa gradu.
Vixque datur longas mulorum rumpere mandras,
Quæque trahi multo marmora fune vides.
Illud adhuc gravius, quod te post mille labores,
Paulle, negat lasso janitor esse domi.
Exitus hinc operis vani, togulæque madentis;
Vix tanti Paulum mane videre fuit.
Semper inhūmanos habet officiosus amicos.
Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

Ad Bassum. 23.

Herbarum fueras induitus, Bassæ, colores,
Iura theatralis dum siluere loci.
Quæ postquam placidi censoris cura renasci.
Iussit, & Oceanum certior audit eques:
Non nisi vel cocco madida, vel murice tincta
Veste nites; & te sic dare verba putas.
Quadringentorum nullæ sunt, Bassæ, lacernæ:
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

De Hermete. 24.

Hermes Martia sæculi voluptas;
Hermes omnibus eruditus armis;
Hermes & gladiator, & magister;
Hermes turba sui tremorque ludi;
Hermes quem timet Helius, sed unum;
Hermes cui cadit Advolans, sed uni;
Hermes vincere, nec ferire doctus;
Hermes suppositius sibi ipsi,

Hermes

XI. M. VAL. MARTIALIS

Hermes divitiae locaviorum;
Hermes cura laborque ludiarum;
Hermes belligera superbus hasta;
Hermes æquoreo minax tridente;
Hermes casside languida timendus,
Hermes gloria Martis universi;
Hermes omnia solus, &c ter unus.

De Chærestrato. 25.

Quædringenta tibi non sunt, Chærestrate. surge,
Lectius, ecce, venit: ita, fuge, curre, late.
Ecquis, io, revocat, discedentemque reducit?
Ecquis, io, largas, pandit amicus opes?
Quem chartis famæque damus, populisque lo-
quendum?

Quis Stygios non vult totus adire lacus?
Hoc, rogo, non melius, quam rubro pulpita nimbo
Spargere, & effuso permaduisse croco?
Quam non sensuro dare quadringenta caballo,
Aureus ut Scorpi nasus ubique micet?
O frustra locuples, o dissimulator amici,
Hæc legis & laudas? quæ tibi fama perit?

Ad Codrum. 26.

Quod alpha dixi, Codre, poenulatorum.
Te nuper, aliqua cum jocarer in charta:
Si forte bilem movit hic tibi versus,
Dicas licebit beta me togatorum.

In fictum equitem. 27.

Ingenium, studiumque tibi, moresque, genusque
Sunt equitis, fateor: cætera plebis habeb.
Bis septena tibi non sunt subsellia tanci,
Ut sedreas viso p allidus Oceano.

Ad Aulum, de Mamerco. 28.

Vt bene loquatur sentiatque Mamercus,
Efficere nullis, Aule, moribus possis:
Pietate fratres Curtios licet vincas,
Quiete Nervas, comitate Rufones,
Probitate Macros, æquitate Manricos,
Oratione Regulos, jocis Paullos:
Rubiginosis cuncta dentibus rodit.
Hominem malignum forsan esse tu credas:
Ego esse miserum credo, cui placet nemo.

Ad Gelliam. 29.

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
 Formosus septem, Marce, diebus eris.
 Si non derides, si verum, lux mea, narras:
 Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Ad Varronem. 30.

Varro, Sophocleo non infitiande cothurno,
 Nec minus in Calabria suspiciende lyra,
 Differ opus: nec te facundi scena Catulli.
 Detineat, cultis aut Elegia comis.
 Sed lege fumoso non aspernanda Decembri
 Carmina, mittuntur quae tibi mense suo.
 Commodius nisi forte tibi, potiusque videtus,
 Saturnaliias perdere, Varro, nuces.

*De ludo puerorum cum juven-
cis. 31.*

Adspice, quam placidis insultet turba juvencis;
 Et sua quam facilis pondera taurus amet.
 Cornibus hic pendet summis, vagus ille per arnos.
 Currit, & in toto ventilat arma bove.
 At feritas immota riger, non esset arena
 Tutar, & poterant fallere plana magis.
 Nec trepidant gestus: & de discrimin'e palme.
 Securus puer est, sollicitumque pecus.

Ad Faustinum, de Crispo. 32.

Quadrantem Crispus tabulis, Faustine, supremis.
 Non dedit uxori: cui dedit ergo? sibi.

In caussidicum. 33.

Carpere caussidicus fertur mea carmina: quis fiz
 Nescio. si sciero, vae tibi caussidice.

*Epitaphium Eretii, ad Frontonem &
Flaccillam parentes. 34.*

Hanc tibi, Fronto pater, genitrix Flaccilla, puella
 Oscula commendo deliciasque meas:
 Parvula ne nigras horrescat Eretion umbras,
 Oraque Tartarei prodigiosa canis.
 Impletura fuit sextae modo frigora brumæ,
 Vixisset totidem ni minus illa dies.

Inter

218 M. VAL. MARTIALIS
Inter tam veteres ludat lasciva patronos,
Et nomen blæso garriat ore meum.
Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi
Terra gravis fueris, non fuit illa tibi.

De Euclide, ad Fabullum. 35.
Dum sibi redire de Parrenibus fundis
Ducena clamat coccinatus Euclides,
Corinthioque plura de suburbano,
Longumque pulchra stemma repetit à Leda
Et luscitanti Lectio reluctatur;
Equiti superbo, nobili, locupleti,
Cecidit repente magna de sinu clavis.
Nunquam, Fabulle, nequior fuit clavis.

De quodam impostore, ad Faustinum. 36.

Laudatus nostro quidam, Faustine, libello;
Dissimulat, quasi nil debeat. imposuit.

Luget Erotium, & ridet Pa-
tum. 37.

Puerla senibus dulcior mihi cycnis,
Agna Galei mollior Phalantini,
Concha Lucrini delicatior stagni;
Cui nec lapillos præferas Erythræos,
Nec modo politum pecudis Indicæ dentem,
Nivesque primas, liliumque non tactum:
Quæ crine vicit Bætici gregis vellus,
Rhenique nodos, aureamque * nitellam:
Fragavit ore, quod rosarium Pæsti; * miscellam
Quod Atticarum prima mella cerarum;
Quod succinorum rapta de manu gleba:
Cui comparatus indecens erat pavo,
Inamabilis sciurus, & frequens phoenix:
Adhuc recenti teper Eration bulso,
Quam pessimorum lex avara fatorum,
Sexta peregit hieme, nec tamen tota,
Nostros amores, gaudiumque, lususque.
Et esse tristem me meus vetat Pætus,
Pectusque pulsans, pariter & comam vellent,
Deflere non te vernuale pudet mortem?
Ego conjugem, inquit, extuli, & tamen vivo.

Notam

ALIS
atrons,
eum.
la, nec illi
lla tibi.

EPIGRAMM A T. LIB: V. 332

Notam, superbam, nobilem, locupletem.
Quid esse nostro fortius potest Pæto?
Ducenties accepit, & tameu vivit.

In Calliodorum. 38.

Calliodorus habet censem (quis nescit?) equestre;
Sexte; sed & fratrem Calliodorus habet:
Quadringenta secat, qui dicit σῦκα μέρες:

Vno credis equo posse sedere duos?
Quid cum fratre tibi, quid cum Polluce molestus?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Vnus cum sitis; duo, Calliodore, sedetis.
Surge: solocesimum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledæ: cum fratre sedere
Non potes; alternis, Calliodore, sede.

In Charinum. 39.

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Charine, misi
Hybleis madidas thymis placentas.
Defeci: miserere iam, Charine.
Signa rarius, aut semel fac illud,
Mentitur tua quod subinde tussis.
Excussi loculosque, saccumque,
Croeso divitior licet fuissim,
Iro pauperior forem, Charine,
Si conchen toties meam comedies.

Ad Artemidorum, de Venere in
feliciter picta. 40.

Pinxisti Venerem, colis, Artemidore, Minervam
Et mitaris, opus dispuicuisse tuum?

In Didymum. 41.

Spadone cum sis eviratior fluxo,
Et concubino mollior Celæneo,
Quem sectus ululat matris entheæ Gallus;
Theatra loqueris, & gradus, & edicta;
Trabeasque, & Idus, fibulasque, censusque;
Et pumicata pauperes manu monstras.
Sedere in equitum liceat an tibi scannis,
Videbo, Didyme: non licet maritorum.

H

Amici

*Amicis quod datur, non
perire.* 42.

Callidus effracta numimos fur auferet arca.
Prosternet patrios impia flamina Latres.
Debitor usura: pariter sorte: negabit,
Non reddet sterilis semina jacta seges.
Dispensatorem fallax spoliabit amica.
Mercibus exstructas obruet unda rares.
Extra fortunam est quidquid donatur amicis;
Quas dederis, solas semper habebis opes.

De Thaide & Lecania. 43.

Thais habet nigros, niveos Lecania dentes.
Quæ ratio est? emptos hæc habet, illa suos.

In Dentonem. 44.

Quid factum est, rogo, quid repente factum est?
Ad cenam mihi, Dento, quod vocanti
(Quis credat?) quater ausus es negare.
Sed nec respicis, & fugis sequentem;
Quem thermis modo querere, & theatris.
Et conclavibus omnibus solebas.
Sic est: captus es unctiore cena,
Et major rapuit canem culina
Iam te: sed cito cognitum & relictum
Cum faltidierit popina dives,
Antiquæ venies ad offa coenæ.

In Bassam. 45.

Dicis formosam, dicis te, Bassa, puellam.
Itud, quæ non est, dicere, Bassa, solet.

Ad Diadumenum. 46.

Basia dum nolo, nisi quæ luctantia carpsi;
Et placet ira mihi plus tua, quam facies:
Ut te sæpe rogem cædo, Diadumenè, sæpe.
Consequor hoc, ut me nec timeas, nec ames.

De Philone. 47.

Nunquam se cenasse domi Philo jurat & hoc est;
Non cenat, quoties pēno vocavit eum.

De Encolpo, Pudentis puer. 48.

Quid non cogit amor? secuit nolente capillos
 Encolpus domino, nec prohibente tamen.
 Permisit, flevitque Pudens, sic cessit habenis
 Audaci questus de Phaethonte parer.
 Talis raptus Hylas, talis deprensus Achilles
 Depositus gaudens, matre dolente, conias.
 Sed tu nec propara, brevibus nec crede capillis;
 Tardaque, pro tanto munere, barba veni.

Ad Labienum. 49.

Vidissim modo forte cum sedentein
 Solum te, Labiene; tres putavi:
 Calvae me numerus tuæ fecellit.
 Sunt illinc tibi, sunt & hinc capilli,
 Quales nec puerum decere possint.
 Nudum est in medio caput, nec ullus
 In longa pilus area notatur.
 Hic error tibi profuit Decembri,
 Tunc cum prandia misit Imperator,
 Cum panariolis tribus redisti.
 Talem Geryonem fuisse credo.
 Vites censeo porticum Philippi,
 Si te viderit Hercules, peristi.

In Charopinum. 50.

Ceno domi quoties nisi te, Charopine, vocavi,
 Protinus ingentes sunt inimicitiae:
 Meque petis stricto medium transfigere ferro,
 Si nostrum sine te scis caluisse focum.
 Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
 Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
 Define iam nostram, precor, observare culinam;
 Atque aliquando meus det tibi verba coquus,

Ad Rufum. 51.

Hic qui libellis prægravem gerit levam,
 Notariorum quem premit chorus levit,
 Qui codicillis hinc & inde prolatis,
 Epistolisque commodat gravem vultum,
 Similis Catoni, Tullioque, Brutoque,
 Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant,
 Ave Latinum, xai ips non potest Græcum.
 Si fingere istud me putas, salutemus.

In Posthumum. 42.

Quæ mihi præstiteris memini, semperque tenebo;
 Cur igitur raseo, Posthume? tu loqueris.
 Incipio quoties alicui tua dona referre,
 Protinus exclamat: dixerat ipse mihi.
 Non belle quædam faciunt duo: sufficit unus
 Huic operi: si vis, ut loquar; ipse tace.
 Crede mihi, quamvis ingentia, Posthume, dona
 Auctoris pereunt garrulitate sui.

Ad Bassum. 53.

Colchida quid scribis, quid scribis, amice, Thyestæ?
 Quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachæ?
 Materia est, mihi crede, tuis aptissima chartis:
 Deucalion; vel, si non placet hic, Phaethon.

De rhetore Apollonio. 54.

Extemporalis factus est meus rhetor:
 Calpurnium non scripsit, & salutavit.

*Cum aquila portante Iovem,**Dialogismus. 55.*

Dic mihi, quem portes, volucrum regina? Tonantem.

Nulla manu quare fulmina gestat? amat.
 Quo calet igne deus? pueri. Cur miris aperto
 Respicias ore Iovem? de Ganymede loquor,

Ad Lupum. 56.

Cui credas, Lupe, filium magistro,
 Quæris sollicitus diu, rogasque.
 Omnes grammaticosque, rhetorasque
 Devites, moneo: nihil fit illi
 Cum libris Ciceronis, aut Maronis.
 Famæ Tutilium suæ relinquit.
 Si versus facit, abdices Poetam.
 Artes discere vult pecuniosas?
 Fac, discat cithareodus, aut choraules.
 Si duri puer ingenii videtur.
 Præconem facias, vel architectum.

Ad Cinnam. 57.

Cum voco te dominum, noli tibi, Canna, placet?
 Sepe etiam servum sic resaluto tuum.

Ad Posthumum. 58.

Cras te victurum, **cras** dicis, Posthume semper.

Dic mihi **cras** istud, Posthume, quando venit?
Quam longe est **cras** istud? ubi est? aut unde pe-

tendum?

Numquid apud Parthos Armeniosque latet?

Iam **cras** istud habet Priami vel Nestoris annos.

Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?

Cras vives: hodie jam vivere, Posthume, seru est.

Ille sapit, quisquis, Posthume, vixit heri.

Mittit Stella fictilia. 59.

Quod non argentum, quod non tibi mittimus au-

Hoc facimus causa, Stella diserte, tua, (rum:

Quisquis magna dedit, voluit sibi magna remitti:

Fictilibus nostris exoneratus eris.

Ad detractorem. 60.

Allatres licet usque nos & usque,

Et gamnitibus improbis lacefas:

Certum est hanc tibi pernare famam,

Olim quam petis in meis libellis,

Qualiscunque legaris ut per orbem.

Nam te cur aliquis sciat fuisse?

Ignotus pereas, miser, necesse est.

Non deerunt tamen hac in urbe forsas

Vnus, vel duo, tresve, quattuorve,

Pellein reddere qui velint caninam.

Nos hac à scabie tenemus ungues.

In Marianum. 61.

Crispus iste quis est, uxori semper adhæret

Qui, Mariane, tuæ? **Crispus** iste quis est,

Nescio quid dominæ teneram qui garrit in auro,

Et sellam cubito dexteriore premit?

Per cujus digitos currit levis annulus omnes:

Crura gerit nullo qui violata pilo.

Nil mibi respondes? uxor res agit, inquis,

Iste meæ: sane certus & asper homo est?

Procuratorem vultu qui præferat ipso:

Acrior hoc Chius non erit Aufidius.

O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini!

Te successurum credo ego Panniculo.

Res uxor agit, res illas Crispus iste?

Res non uxor, res agit ipse tuas.

Ad hospites. 62.

Iure tuo nostris maneas licet hospes in hortis,
 Si potes in nudo ponere membra solo :
 Aut si portatur tecum tibi magna supeller,
 Nam mea jam digitum sustulit hospitibus,
 Nulla regit fractos nec inanis culcitra lectos,
 Purris & abrupta fascia reste jacer.
 Sit tamen hospitium nobis commune duobus :
 Eni hortos ; plus est : instrue tu ; minus est.

Ad Ponticum. 63.

Quid sentis, inquis, de nostris Marce, libellis ?
 Sic me sollicitus, Pontice, saepe rogas.
 Admiror ; stupo ; nihil est perfectius illis ;
 Ipse tuo cedit Regulus ingenio.
 Hoc sentis ? inquis : faciat tibi sic bene Cæsar,
 Sic Capitolinus Iupiter : immo tibi :

Ad suos ministros. 64.

Sextantes, Calliste, duos infunde Falerni :
 Tu super æstivas, Alcime, solve nives.
 Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo,
 Lassenturque rosis tempora sutilibus.
 Iam vicina jubent nos vivere Mausolea,
 Cum doceant ipsos posse perire deos.

Ad Casarem. 65.

Astra polumque dedit. quamvis obstante noverca,
 Alcidæ Nemeæ terror, & Arcas aper ;
 Et castigatuni Libyæ ceroma palestræ ;
 Et gravis in Siculo pulvere fusus Eryx ;
 Silvarumque tremor, tacita qui fraude solebat
 Ducere nec rectas Cacus in antra bœves.
 Ita tua, Cæsar, quota pars spectatur arenæ ?
 Dat majora novus prælia mane dies.
 Quot graviora cadunt Nemeæ pondera monstro ?
 Quot tua Mænalius collocat hasta sues ?
 Reddatur si pugna triplex pastoris Iberi,
 Est tibi, qui possit vincere Geryonem.
 Sæpe licet Grajæ numeretur bellua Lernæ,
 Improba Niliacis quod facit Hydra feris ?
 Pro meritis cœlum tantis, Auguste, dederunt
 Alcidæ cito dī : sed tibi sero dabant.

In Pontilianum. 66.

Sæpe salutatus, nunquam prior ipse salutat :
Sic erit æternum, Pontiliane, vale.

De hirundine. 67.

Hibernos peterent solito cum more recessus.

Atthides, in nidis una remansit avis.

Deprendere nefas ad tempora verna reversæ,

Et profugam volucres diripuerè suæ.

Sero dedit poenas. discerpi noxia mater

Debuerat : sed tunc cum laceravit Itym.

Ad Lesbiam. 68.

Arcto de gente comam tibi, Lesbia, misi :

Vi scires quanto sit tua flava magis.

In M. Antonium. 69.

Antoni Phario nil objecture Photino,

Et levius tabula, quam Cicerone nocens :

Quid gladium demens Romana stringis in ora ?

Hoc admisisset nec Catilina nefas.

Impius infando miles corrumpitur auro :

Et tantis opibus vox tacet una tibi.

Quid prosunt sacræ pretiosa silentia linguae ?

Incipient omnes pro Cicerone loqui.

De Syrisco, ad Maximum. 70.

Infusum sibi nuper à patrono

Plenum, Maxime, centies Syriscus.

In sellariolis vagus popinis

Circa balnea quattuor peregit.

O quanta est gula, centies comedere !

Quanto major adhuc, nec accubare !

Ad Faustinum. 71.

Humida qua gelidas summittit Trebula valles,

Et viridis Cancri mensibus alget ager :

Rura Cleoneo nunquam temerata Leone,

Et domus Æolio semper amica Noto :

Te, Faustine, vocant : longas his exige messes

Collibus : hibernum jam tibi Tibur erit.

*Ad Rufum, de origine
Bacochi.* 72.

Qui potuit Bacchi matrem dixisse Tonantem,
Ille potest Semelem dicere, Rufe, patrem.

Ad Theodorum. 73.

Non donem tibi cur meos libellos
Oranti toties, & exigenti,
Miraris, Theodore? magna caussa est:
Dones tu mihi ne tuos libellos,

De Pompejo & filiis. 74.

Pompejos juvenes Afia atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes, si tamen ulla tegit.
Quid mirum toto si spargitur orbe? jacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Ad Quintum. 75.

Quæ legis caussa nupsit tibi Lælia, Quinte,
Vxorem potes hanc dicere legitimam.

Ad Cinnam. 76.

Profecit poto Mithridates saepe veneno,
Toxica ne possent saeva nocere sibi.
Tu quoque cavisti cenando tam male semper,
Ne posses unquam, Cinna, perire fame.

Ad Marul'um paderastam. 77.

Narratur belle quidam dixisse, Marulle,
Qui te ferre oleum dixit in auricula.

Ad Turanium. 78.

Si tristi domenicio laboras,
Turani: potes esuxire mecum.
Non deerunt tibi, si soles *w̄go w̄vav̄*,
Viles Cappadocæ, gravesque porri:
Divisis cybium latebit ovis:
Ponetur digitis tenendus ustis
Nigra coliculus virens patella,
Algenter modo qui reliquir hortum:
Et pultem niveam premens botellus:
Et pallens faba cum rubente lardo.

Mensæ munera si voles secundæ :
Marcentes tibi porriganter uvæ,
Et nomen pira quæ ferunt Syrorum,
Et quas docta Neapolis creavit
Lento castaneæ vapore tostæ :
Vinum tu facies bonum bibendo.
Post hæc oninia forte si movebit
Bacchus, quam solet, esuritionem,
Succurrent tibi nobiles olivæ
Piceni modo quas tulere rami,
Et fervens cicer, & tepens lupinus.
Parva est cenula (quis potest negare ?)
Sed finges nihil, audiesve fictum,
Et vultu placidus tuo recumbes :
Nec cratulum dominus leget volumen :
Nec de Gadibus improbis puellæ
Vibrabunt sine fine prurientes
Lascivos docili tremore lumbos :
Sed, quod non grave sit nec inficetum,
Parvi tibia condyli sonabit.
Hæc est cenula. Claudiam sequeris :
Quam nobis cupis esse tu priorem.

In Zoilum. 79.

Vndecies una surrexi, Zoile, cena ;
Et mutata tibi est synthesis undecies :
Sudor inhæreret madida ne veste retentus,
Et laxam tenuis læderet aura cutem.
Quare ego non fudo, qui tecum ; Zoile, ceno ?
Frigus enim magnum synthesis una facit.

Ad Severum. 80.

Non totam mihi si vacabis horam,
Dones, & licet imputes, Severe,
Dum nostras legis exigisque nugas.
Durum est perdere ferias. roganus,
Lacturam patiaris hanc, ferasque.
Quod si legeris ipse cum diserto
(Sed numquid sumus improbi ?) Secundo ;
Plus multo tibi debiturus hic est,
Quam debet domino suo, libellus.
Nam securus erit, nec inquieta
Lassi marmora Sisyphi videbit,
Quem censoria cum meo Severo
Docti lima momorderit Secundi,

Ad Aemilianum. 81.

Semper eris pauper, si pauper es, Aemiliane,
Dantur opes nullis, nunc nisi divitibus.

In Gaurum. 82.

Quid promittebas mihi millia, Gaure, ducenta:
Si dare non poteras millia, Gaure, decem?
Ab potes, & non vis: rogo, non est turpius istud?
I, tibi disperdas, Gaure: pusillus homo es.

Ad Dindymum. 83.

Insequeris, fugio; fugis, insequor; haec mihi
mens est:
Velle tuum nolo, Dindyme, nollo volo.

Ad Gallam. 84.

Iam tristis nucibns puer relictis.
Clamioso revocatur a magistro.
Et blando male proditus fritillo,
Arcana modo raptus e popina,
Aedilem rogat udus aleator.
Saturnalia transiere rota:
Nec munuscula parva, nec minora
Misisti mihi, Galla, quæ solebas.
Sane hic abeat meus December.
Scis certe puto * vestra jam venire * nolite
Saturnalia Martias Kalendas.
Tunc reddam tibi, Galla, quod dedisti.